



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Canon X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

C A N O N X.

CONCILIUM TRIDENTINUM *Sess. XXIV. Cap. XVIII.*

EXpedit maximè Animarum faluti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari, id ut diligentius, ac rectius perficiatur, statuit sancta Synodus, ut cùm Parochialis Ecclesiæ vacatio, etiamsi Cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum, vel per plures administretur etiam in Ecclesiis Patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus curam Animarum dare, quos omnes id infra scriptum examen teneri mandat, per obitum, vel resignationem etiam in Curia, seu aliter quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa Parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter etiam vigore Indulti, seu Privilegii in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum, debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur; Porrò Episcopus, & qui jus patronatus habet, intrà decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis Examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito ab ejus Vicario Generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si

pares

pares singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in Dioecesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ad ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat; sint verò hi Examinatores, Magistri, seu Doctores, aut licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alii Clerici, seu regulares etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros: Caveantque, nè quidquam prorsus occasione hujus Examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin Simonix vitium, tam ipsi, quàm alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur; Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, à qua, si quid contra Officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine denuncientur, quotcumque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, Doctrina, Prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri, Collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si verò Jurispatronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituat. Cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si juspatro-

natus Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti; In omnibusque supradictis casibus non cuiquam alteri, quàm uni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbatis, juxta supradictam regulam de Ecclesia provideatur, nec prædictorum Examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio etiam ad Sedem Apostolicam, five ejusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuncios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primate, vel Patriarchas, interposita impediatur, aut suspendatur, alioquin Vicarius, quem Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab ejus Ecclesiæ Custodia, & Administratione non amoveatur, donec, aut eisdem, aut alteri, qui probatus, & electus fuerit, ut supra sit provisum, alias provisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ subreptitiæ esse censeantur non obstantibus huic Decreto Exemptionibus, Indultis, Privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscumque Universitatibus etiam ad certam summam, & aliis impedimentis quibuscumque. Si tamen adeò exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, ut totius hujus Examinationis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quærat subijcere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus Locis reperiuntur, facilè graviores rixæ, aut tumultus possint excitari poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum Deputatorum Consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma ommissa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut supra servatis adhibere; Licebit etiam Synodo Provinciali, si qua in supradictis circa Examinationis formam addenda, remittendave esse consueverit, providere.

COMMENTARIUM,

EX hoc Canone sequentes deducuntur conclusiones.

Prima = VACANTE ECCLESIA PAROCHIALI, SI OPUS FUERIT, EPISCOPUS DEBET DEPUTARE ÆCONOMUM, SEU VICARIUM CUM ASSIGNATIONE CONGRUÆ PORTIONIS, EJUS ARBITRIO, DONEC PROVIDEATUR DE RECTORE. =

Secunda = ECCLESIAE PAROCHIALES DE JUREPATRONATUS ECCLESIASTICO PROVIDENTUR PER CONCURSUM, ET PATRONUS DEBET ELIGERE, ET PRÆSENTARE IDONEUM, SEU MAGIS IDONEUM INTER APPROBATUS AB EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS, SI INSTITUTIO SPECTAT AD EPISCOPUM, SI VERO SPECTAT AD INFERIOREM, TUNC ELECTIO IDONEI, AUT IDONIORIS SPECTAT AD EPISCOPUM, ET QUEM ELEGERIT EPISCOPUS, PATRONUS DEBET PRÆSENTARE INFERIORI HABENTI INSTITUERE. =

Tertia = ECCLESIAE PAROCHIALES DE JUREPATRONATUS LAICALI NON PROVIDENTUR PER CONCURSUM, SED PATRONUS LAICUS DEBET PRÆSENTARE, ET PRÆSENTATUS DEBET EXAMINARI, ETSI REPERTUS FUERIT IDONEUS, EST INSTITUENDUS = Primam conclusionem probat etiam textus in *cap. cum vos de offic. ordin. superius Part. II. Can. XXV. Cas. IV. num. 13.* per extensum rel. & omnes aliàs sequuntur, & approbant *Fagnan. in cap. cum ad nostram de elect. num. 28.* & in *cap. cum sit ars artium num. 18. de etat. & qualit. & in cap. cum vos de offic. ordin. num. 8. & 25. Barbof. hic num. 30. & 136. & seqq. & de offic. & potest. Paroch. par. 1. cap. 2. nu. 124. & 129. Garz. de benef. par. 9. cap. 2. §. 1. nu. 127. & §. 2. n. 255. & 261. Gonzal. ad regul. 8. Gloss. 6. num. 134. & seqq. Vivian. de jurepat. lib. 10. cap. 1. num. 31. & 58. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. num. 1. & seqq. Pignatell. Consult. 77. num. 44. & seq. & num. 111. tom. 9. Tondut. quest. benef. par. 3. cap. 187. nu. 4. & seq. Grazian. discip. 211. num. 30. & seqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 32. num. 31. & de benef. disc. 25. num. 6. & de paroch. disc. 37. num. 46. Monacell. formul. legal. 14. tit. 5. num. 1. par. 1. & formul. 1. tit. 15. num. 31. par. 2. Rot. decis. 579. nu. 4. par. 2. rec. & decis. 942. num. 2. coram Buratt. & decis. 339. num. 11. coram Bich. & decis. 65. num. 13. coram Otthobon. & decis. 34. num. 38. coram Priolo, & decis. 80. n. 7. & decis. 102. num. 2. & 10. coram Ubago, & in Legionen. parochialis 15. Januarii 1703. §. Verùm coram. bo. mem. R.P.D. Pio, & in altera Legionen. parochialis 11. Januar. 1706. §. Multoque magis coram R.P.D. Kaunitz.*

Hanc Conciliarem dispositionem confirmat, ac declarat Divus Pius V. in ejus constitutione incipiens. In conferendis, de qua Bullar. Roman. nov. tom. 2. in ordine la 33. ibi = In conferendis, &c. Quod ut diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione Parochialis Ecclesie etiam generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalium, aut aliàs quomodolibet reservata, vel affecta debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesie, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesie sustineat, donec ei de Rectore provideatur, & deinde Episcopus, & qui jus patronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum, aliquos Clericos ad regendum Ecclesiam idoneos Examinatoribus juxta formam ejusdem Synodi deputatis, nominet, & non nisi ab eisdem Examinatoribus per concursum aliorum Examinatorum, etiam tamquam magis idoneo ab Episcopo judicato, & electo de Ecclesia provideatur, aliàs provisiones, seu institutiones omnes præter formam prædictam factæ, subreptitiæ censeantur. Sed quoniam res humana semper in deterius prolabantur, nisi sit, qui eas retineat, ac debite executioni demandet, & verendum sit ne propter constitutionum hujusmodi transgressionem maximi abusus oriantur. Nos, ad quorum notitiam non sine gravi nostra molestia pervenit non nullos ex venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis; & Episcopis occurrente vacatione parochialium Ecclesiarum, eas nullo, aut minus ritè servato examine præsertim illo, quòd per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine ritè servato, personis minus dignis carnalitatibus, aut alium humana passionis affectum, non rationis judicium sequentes, contulisse, & de eis providisse, volentes, quantum cum Deo possumus hujusmodi, ac etiam futuris periculis occurrere; eorundem Prædecessorum

rum

rum nostrorum constitutiones præfatas etiam innovando, Auctoritate Apostolica tenore præsentium omnes, & singulas collationes, provisiones, institutiones, & quasvis dispositiones Parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis, & Archiepiscopis, ac quibusvis aliis collatoribus tam ordinariis, quàm delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicæ Legatis, vel Nunciis, præter, & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo, præscriptam, factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti fore, & esse, nullumque provisus jus, aut titulum etiam coloratum possidendi præbere, & parochiales Ecclesias hujusmodi, ut prius ante collationes hujusmodi, vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus, easque omnes pro tempore sic vacantes nostræ, & Sedis Apostolicæ, seu eorum, quibus jus conferendi eas, Episcopis, & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis, juxta decretum Concilii, habere debent, competet, dispositioni reservamus. Insuper nè Parochiales Ecclesiæ diù in suspensio maneat in maximam animarum periculum quarumcumque Parochialium Ecclesiarum, quarum dum pro tempore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primate, & Patriarchas, & quosvis alios ordinarios collatores in mensibus ordinariis, collatoribus etiam per nostras regulas assignatis, provisio, & collatio spectat, & pertinet, de quibus iidem Episcopi, & Ordinarii prædicti intra sex mensum spatium à die vacationis earundem perfectò examine, juxta formam Concilii Tridentini præfati non providerint, ac illarum, etiam quarum collationes nobis, & dictæ sedi generaliter, vel specialiter, & ex quavis causa reservata, seu affecta existunt, aut alias ex indulto Sedis Apostolicæ competunt, ad quos occurrente illarum vacatione, Episcopi, & Archiepiscopi præfati personas per examen, concursu mutuo habito juxta dicti Concilii Tridentini formam approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas nobis, vel successoribus nostris, aut iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensum spatium à die illius vacationis non significaverint, nec non Parochialium Ecclesiarum similibus, quæ juris patronatus Ecclesiastici, vel aliorum, seu Clericorum, & Laicorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis à jure præfixum prævio examine juxta formam dicti Concilii approbatus, petatur institui, institutioque ipsa per duos menses à die presentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem nobis, & ipsi sedi, ac personis indulta hujusmodi, conferendi, providendi, seu instituendi obtinentibus respectivè reservamus, data tamen in Parochialibus juris patronatus optione ipsis Patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere, negligentibus, & ultra dictos duos menses deferentibus, possint pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorum Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam. Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, nè tempus decem dierum eisdem Ordinariis, & Patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos Clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. Districte inbibentes, nè quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta hujusmodi obtinentes, ut præfertur, quacumque sit super hoc auctoritate munitus, de hujusmodi beneficiis sic reservatis (ut præfertur) disponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel alias innovare quoquo modo præsumat. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis reperitis juxta ejusdem Concilii Decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorum Ordinarium, uti nostrum, & Sedis hujusmodi delegatum, aut alius ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare, & confito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis, magis idoneo per eundem judicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, à quo appellatum fuit, spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda, remittat ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediatur, aut suspendatur, quo minus electio per Ordinarium primo loco facta interim debita demandetur executioni, & provisus, ab eadem Ecclesia, causa appellationis hujusmodi dependente non amoveatur. Et si quis à Sententia per Judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit.

bit. Si secus in præmissis omnis, & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus, & inane = .

2 Examen requisivit Sacrum Concilium, non solum in quibuscumque beneficiis simplicibus Jurispatronatus, ut vidimus superius *Canon I.* sed etiam, & quidem specialius in Beneficiis curatis, tam liberis, quam Patronalibus; Ratio autem est, quia Curati de Jure Divino tenentur pascere oves sibi commissas Verbi Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, & bonorum operum exemplo, juxta Christi Domini præceptum = *Pasce Oves meas* = in litore Maris Tiberiadis D. Petro impositum. *Joann. 21. & idem Tridentinum cap. 1. sess. 23. de reform.* Et sunt duces aliorum, ideoque illuminati esse debent, ut aliis præluceant. Sed quia hæc præstari nequeunt nisi illi, qui præficiuntur Parochialibus Ecclesiis, sint ætate, scientia, prudentia, bonis moribus, ac aliis ad gubernandam Ecclesiam opportunis imbuti; dum si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt; & sæpè sæpius videmus, ac experientia constat, quod illiterati, & imperiti, ac turpiter, & scandalosè viventes Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, & propter eorum vitæ turpitudinem, nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat; idè Sapientissimi Patres prudentissimè in hoc *Canone* nunquam satis laudabili, restringendo Collatorum antiquam libertatem, certam adjecerunt formam; statuerunt nempe rigorosum examen per concursum, modo, & forma ibidem stabilita, non solum in Parochialibus liberis, sed etiam Jurispatronatus Ecclesiastici, injungendo nimirum Examinatoribus Synodalibus, quod diligenter inquirent, & examinent Nominatos à Patrono Ecclesiastico super eorum vita moribus, Doctrina, ac ætate; patrono verò Ecclesiastico, quod præsentet Episcopo ad Ecclesiam Parochialem vacantem, quem inter approbatos ab Examinatoribus idoneorem judicaverit; In Parochialibus autem Jurispatronatus Laicorum decreverunt examen præsentati à Patrono Laico absque hujusmodi concursu. Sic quodammodo inhærendo vestigiis Innocentii III., qui in *Can. nihil de election.*, præscripsit examen illius, qui ad curam animarum assumendus est, ibi = *Nihil est quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quod indigni assumantur Prælati ad regimen Animarum; Volentes igitur huic morbo necessariam adhibere medelam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cum quisquam ad regimen animarum fuerit electus, is, ad quem pertinet ipsius confirmatio, diligenter examinet, & electionis processum, & Personam electi: ut cum omnia ritè concurrerint, munus ei confirmationis impendat: quod si secus fuerit incautè præsumptum, non solum deiciendus est indignè promotus, verum etiam indignè promovens puniendus. Ipsum quoque decernimus hac animadversione puniri, ut cum de ipsius constituerit negligentia, maxime si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitima approbaverit, non solum confirmandi primum successorem illius careat potestate, verum etiam (nè aliquo casu pœnam effugiat) à perceptione proprii Beneficii suspendatur, quousque (si æquum fuerit) indulgentiam valeat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc per malitiam excessivè, graviori subjaceat ultioni &c. = Idem repetit in *cap. cum sit ars de ætat. & qualit.*, ibi = *Cum sit ars artium regimen Animarum, distriktè præcipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant, & informant, vel per se ipsos, vel per alios idoneos viros super divinis officiis, & Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare; Quam si de cætero rudes, & ignaros ordinare præsumperint (quod quidem) facile poterit deprehendi) & ordinatores, & ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. Sanctius enim est (maximè in ordinatione Sacerdotum) paucos bonos, quàm multos malos habere ministros, quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur = Et idem statuitur etiam in *cap. 1. de verb. signific. in 6.* superius per extensum relat. *Part. II. Can. XIV. & XV. Cas. VIII. n. 13.* Ob quam rationem Alexander etiam Tertius in *cap. eam te de ætat. & qualit.* strictè prohibuit Episcopis instituere in Ecclesiis Parochialibus Personas scientiam, mores, ac ætatem congruam non habentes, ibi = *Arctius inhibemus, nè personas, quæ in Ecclesiis tui Episcopatus ad curam Animarum fuerint ordinanda in ipsis instituas, nec aliqua occasione, vel etiam Litterarum nostrarum obtentu institui patiaris, quæ scientia, moribus, & ætate Concilii non congruant institutis = .***

Quoad has Conclusiones infra scripti examinantur casus.

ARGUMENTUM.

Concursus factus coram Examinatoribus electis in Synodo, quæ fuit suspensa, an sustineatur; Et de requisitis necessariis ad validitatem Concursus. Et an, & quando sit locus provocationi ad novum Examen.

SUMMARIUM.

- 1 Concursus requiritur in Parochialibus de jure patronatus Ecclesiastico; Limita, ut ibi.
- 2 Non verò in Parochialibus de jure patronatus laicali. Limita, ut ibi.
- 3 Neque in Parochialibus de jure patronatus mixto. Limita, ut ibi.
- 4 Enumerantur requisita necessaria ad validitatem concursus in Parochialibus de jure patronatus Ecclesiastico; & n. 5. 6. 7. 16. 17. 19. 21. 23. 25.
- 7 Examinatores Synodales, quas qualitates habere debent, ad hoc, ut validè coram ipsis fieri possit concursus. Vide ibi, & num. 8. 9. 10.
- 11 Juramentum præstari potest ab Examinatoribus Synodalibus etiam extra Synodum.
- 12 Officium Examinatorum Synodalium quamdiù duret? Vide ibi.
- 13 Si ex sex Examinatoribus Synodalibus aliqui, vel omnes fuerint intrà annum suæ electionis demortui, quid facere debeat Episcopus? Vide ibi.
- 14 Concursus est validus, si fiat examen coram Examinatoribus in locum defunctorum subrogatis, dummodo per eos fuerit præstitum consuetum juramentum; secus si tale juramentum fuerit ab eis omissum, vel inter ipsos, & ab eis approbatus intercesserit simonia, & n. 15.
- 18 Si contingat contemporanea vacatio plurimum Parochialium, ad omnes quidem indici debet concursus prævia affixione distinctorum edictorum pro unaquaque Ecclesia, non tamen Episcopus tenetur separata peragere examina.
- 20 Concursus non vitiatur, si concurrentes admissi sint ad actum examinis non unitim, sed in mansionibus separatis.
- 22 Episcopus, in actu approbandi, vel reprobandi nullum votum habet decisivum, sed solum jus accedendi; ad validitatem autem hujusmodi adhesionis, quid requiratur? Vide ibi.
- 24 Patronus si præsentaret ante nominationem plurimum Personarum, & ante approbationem in concursu, presentatio esset nulla.
- 26 Ad Episcopum spectat eligere digniorem intrà approbatos, quando agitur de Ecclesiis Parochialibus liberis, aut juris patronatus vacantibus in mensibus reservatis.
- 27 Præelectio Dignioris, seu idoneioris, potest etiam fieri à Vicario Apostolico à Summo Pontifice deputato ob ingravescentem ætatem Episcopi, & hac sustinetur ad exclusionem præelectionis factæ ab Episcopo sene.
- 28 Concursus factus coram Examinatoribus electis in Synodo, quoad ejus Constitutiones, & decreta, suspensa sustinetur.
- 29 Simplex presentia alicujus non Synodalis in examine, apta non est invalidandi concursum.
- 30 Episcopus non tenetur inchoare examen statim elapso termino edicti, sed potest illud differre ad sui libitum, dummodo intrà quatuor, vel sex menses respectivè à die vacationis, examen expediatur.
- 31 Ad validitatem concursus non requiritur, quod expleatur per vota secreta.
- 32 Quando non constat de mala Præelectione. Vide ibi, & num. 33.
- 34 Licitum est cuilibet ab irrationabili judicio Episcopi appellare.
- 35 In beneficiis curatis appellatio à præelectione, seu ab irrationabili judicio Episcopi non causat effectum suspensivum, secus in beneficiis non curatis, ut n. 36.
- 37 Postpositus ab Episcopo in concursu provocare valet præelectum ad novum examen, illudque est ipsi decernendum à Judice appellationis in Urbe; Amplia, ut ibi, & n. 38.
- 39 Presentatus à Patrono laico, ad Ecclesiam Parochialem, si in examine fuerit reprobus, potest ab hac reprobatione se appellare, & est locus novo examini delegando in Curia.

- 40 *Ad hoc, ut Judex appellationis decernere valeat novum examen, requiritur quod appellans det aliquem sumum irrationabilitatis, & mala praelectionis Episcopi.*
- 41 *Appellans ab irrationabili judicio Episcopi duram provinciam aggreditur.*
- 42 *Examen per concursum requiritur etiam in beneficiis non Parochialibus, quando ista ex lege foundationis conferenda sint per concursum.* Amplia, ut ibi.

C A S U S I.

VAcata Ecclesia Parochiali A de Jurepatronatus Ecclesiastico, spectante ad institutionem cujusdam Abbatis, fuit ab Episcopo convocatus concursus, & intra terminum decem dierum fuerunt plures à Patrono nominatae Personae coram Examinatoribus electis in ultima Synodo Dioecessana, quae fuit à Sacra Congregatione Concilii quo ad Constitutiones, & decreta suspensa. Longè post decendum in edicto appositum fuit expletum examen, cum interventu non solum dictorum Examinatorum, verum etiam cujusdam Canonici, qui tamen, nec examinavit, nec suffragium dedit; quo peracto Examinatores per vota publica approbarunt, & commendarunt Episcopo inter concurrentes, Titium, & Sempronium; Episcopus autem praelegit Titium, quem Patronus praesentavit praefato Abbati posthabito Sempronio; qui praetendit nullum, non solum concursum, sed etiam praelectionem, & esse locum provocationi ad novum Examen. Quero proindè in hoc Casu.

Primò = *An constet de nullitate concursus* = .

Secundò = *An constet de mala praelectione* = .

Tertiò = *An sit locus provocationi ad novum examen* = .

- 1 Quoad primum videtur respondendum affirmativè; Ad validitatem namque concursus necessarii quidem in Parochialibus de jurepatronatus Ecclesiastico juxta secundam conclusionem in *Commentario* deductam, nisi in limine foundationis de consensu legitimi superioris fuerit exclusus *Garz. de benef. par. 9. cap. 2. numer. 270. & seq. Barbof. hic n. 147.* non ve-

2 rò requisiti in Parochialibus de jurepatronatus Laicali, juxta tertiam Conclusionem ibidem pariter deductam; nisi fortasse Patronus Laicus plures accumulativè praesentaret, tunc enim inter ipsos praesentatos deberet fieri examen per concursum. *Gonzal. super regul. 8. cancell. gloss. 6. n. 138. Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 6. Card. de Luc. de Paroch. disc. 7. n. 10.* Minusque

3 requisiti in Parochialibus de jurepatronatus mixto. *Virvian. de jurepat. lib. 10. cap. 1. n. 34. Barbof. hic num. 144. Card. de Luc. de Paroch. disc. 15. num. 3. Monacell. formul. legal. 14. tit. 5. n. 1. par. 1.* nisi jurepatronatus magis participet de Ecclesiastico, quam de Laicali. *Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 6.* Ad validitatem inquam hujusmodi concursus plura requiruntur.

4 Requiritur primò quod ille, qui instituit concursum sit Episcopus, aut etiam alius inferior, qui tamen habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, ac jus congregandi Synodum *Barbof. hic num. 45. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 2. 2. ibiq. Carol. Anton. de Luc. n. 3.*

5 Requiritur secundò, quod Episcopus proponat publicum Edictum concursus, ad valvas Ecclesiae Parochialis, aut in alio loco consueto, ac in eo praefigat terminum decem dierum, concurrentibus ad sua nomina deferenda, & describenda, & postea hunc terminum non proroget ultra alios decem dies. *Barbof. hic n. 65. & seqq. & de Paroch. par. 1. cap. 2. num. 40. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. §. 2. n. 8. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. num. 14. & seq. Card. de Luc. de Paroch. disc. 37. num. 6. & seq. Monacell. formul. legal. 10. tit. 5. num. 4. par. 1.* Non tenetur tamen Episcopus proponere edictum cum praefixione termini, decem, aut viginti dierum statim à die notitiae vacationis Ecclesiae Parochialis, sed est in arbitrio Episcopi illud proponere, quando ipsi opportunum videbitur, dummodò id fiat intra semestrem, si Parochialis vacaverit in suo mense, vel intra quadrimestrem si vacaverit in mense reservato, ut testatur *Fagnan. in cap. cum sit ars num. 42. & seqq. de atat. & qualis. Barbof. hic n. 57.*

6 Requiritur tertiò; quod Episcopus, aut Patronus intra terminum praefixum

Y de-

decem dierum, aut prorogatum viginti dierum, plures personas idoneas nominat ad concursum, & hoc requiritur de forma; liberum est etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre. *Fagnan. in d. cap. cum sit ars n. 18. de atat. & qualit. Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 31. n. 52. & seq. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. num. 13. Monacell. formul. legal. 14. n. 1. tit. 5. par. 1. Rot. dec. 102. n. 3. & dec. 80. n. 11. coram Ubago*; ita ut appellatio interposita ab ipsis Patronis, vel ab eisdem nominatis prætendentibus alios ad concursum admitti non debere, concursum aliàs legitimè institutum impedire non potest, ut resolvit S. Congregatio Concilii in *Florentina 22. Aprilis 1599. lib. 9. pag. 66.*

- 7 Requiritur quartò, quod Examinatores, qui examinare debent nominatos à Patrono; aut concurrentes, & descriptos intrà terminum præfixum, aut prorogatum sint legitimi, nimirum, quod sint electi, & approbati in Synodo Diœcesana, quolibet anno celebranda ad minus sex, nam si fuerint electi solùm quatuor, aut quinque, & coram his fieret examen; hoc esset nullum. *Ventrigl. in prax. p. 2. annot. 5. §. 1. num. 32. & 34.*, & quidem quod sint electi, & deputati in Synodo vera, & formali congregata per Episcopum, & Clerum ad tractandum de reformatione, & regimine Ecclesiæ, nam si congregaretur Clerus, ad alium finem, & ibi eligerentur Examinatores, isti non dicerentur Synodales, & examen coram ipsis factum, esset nullum *Ventrigl. ubi supra n. 31. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 32. n. 6.* Quod sint Magistri, aut Doctores, aut licentiati in Theologia, vel jure Canonico, si extent, & in horum defectum sunt alii Clerici, aut Sacerdotes eligendi, qui ad id sint magis idonei. *Barbos. hic num. 103. & de Paroch. par. 1. cap. 2. num. 73. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 36.* Quod præstent juramentum, se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus executuros, aliàs si fieret concursus coram Examinatoribus, qui non juraverint, concursus esset nullus *Barbos. hic n. 105. & de Paroch. par. 1. cap. 2. num. 76. & seq. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. n. 3. Ventrigl. ubi supra num. 37. & seqq. Card.*

de Luc. in annot. ad Concil. disc. 32. n. 8. & de Paroch. disc. 37. num. 14. Quod juramentum præstari potest ab Examinatoribus Synodalibus etiam extra Synodum, & non est necesse, quod præstetur in Synodo. *Barbos. hic n. 105. Pignattell. consult. 13. n. 2. tom. 1.*

- 12 Officium autem horum Examinatorum Synodaliū in Synodo deputatorum durat, donec alii in alia nova Synodo deputati fuerint, sed si elapso anno aliquis ex eis mortuus fuerit, omnium officium expirat *Fagnan. in cap. cum sit ars de atat. & qualit. n. 54. Barbos. hic n. 94. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. n. 2.*
- 13 Si ex sex Examinatoribus aliqui fuerint intrà annum suæ electionis demortui, potest Episcopus alios, eo anno durante, in locum mortuorum eligere cum approbatione Capituli; si omnes sex fuerint demortui intrà annum, debet ex antiquis Examinatoribus Synodalibus, si fuerint, eligere non pauciores, quàm sex, & si non existant omnes sex examinatores antiqui Synodales, tunc Episcopus eligit illos, qui fuerint, & alios suppleat de novo, approbatos tamen à Capitulo usque ad numeri præfati complementum. Verùm si nulli examinatores antiqui Synodales superstites fuerint, tunc Episcopus novos examinatores idoneos qui à Capitulo approbati sint, non pauciores quàm sex substituat, qui debent supradictum juramentum præstare, & habere qualitates requisitas à Concilio, & quorum officium durat usque ad tempus celebrandi novam Synodum, ut declaratum fuisse à Clemente VIII. testantur *Barbos. hic n. 93. Fagnan. in cap. cum sit ars de atat. & qualit. n. 45. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. n. 2. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 41. & seqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 32. n. 7. Pignattell. consult. 119. n. 1. tom. 1.*
- 14 Adeo ut si fiat examen coram Examinatoribus in locum defunctorum subrogatis, & approbatis à Capitulo, ac præstito per eosdem Examinatores consueto juramento, concursus est validus, ut declaratum fuit à S. Congregatione Concilii in *Satrianen. Concurfus 28. Junii 1704. & in Abellinen. Concurfus 28. Febr. 1711.*
- 15 Secùs si fiat examen coram istis Examinatoribus subrogatis, non præstito priùs per

per eos juramento fideliter exequendi munus, aut si constet, quod intercesserit Simonia inter dictos examinatores, & approbatos ab eis, tunc enim concursus esset nullus, & esset deveniendum ad novum examen, ut fuit resolutum ab eadem S. Congregatione in *Pennen. Concursus* 23. *Junii 1708.*, ubi post vacationem Parochialis Ecclesiæ S. Silvestri Locci Cermignani Pennen. Diocesis, indicto concursu per Episcopum, quatuor fuerunt concurrentes, Nicolaus Adrianus, qui ex quinque Examinatoribus, qui cum licentia supposita quidem, & non exhibita, S. Congregationis interfuerunt, quatuor favorabilia vota reportavit; Joseph Sebastianus, & Joannes Adrianus singuli tria, atque Joseph de Castellis duo dumtaxat. Peracto examine renuit Episcopus prælectionis judicium proferre sub pluribus assertis motivis nullitatis dicti concursus, quod nempe Examinatores præviè ad examen haud juverint ad Sancta Dei Euangelia sese fideliter munus executuros, quod insuper iidem examinatores non passim inter se, sed per suffragia secreta, vota sua protrulerint; quod tandem inter eundem Nicolaum Adrianum, & nonnullos ex Examinatoribus simoniaca labes intercesserit. Unde proposito dubio ad instantiam prædicti Nicolai Adriani = *An constet de nullitate concursus, itaut sit deveniendum ad novum examen* = responsum fuit *Affirmativè*.

16. Requiritur quintò, quòd in examine intersint saltem tres Examinatores Synodales, & quod non interveniat alius examinatus extraneus, seu non Synodalis, qui simul suum suffragium det, ac referat super vita, moribus, ac Doctrina, aliàs concursus esset nullus. *Fagnan. in cap. cum sit ars de etat. & qualit. n. 55. Barbos. hic n. 78. & seq. & num. 102. & de Paroch. par. 1. cap. 2. n. 71. Pignattell. consult. 21. n. 1. 4. & 11. tom. 3. & consult. 77. n. 50. tom. 9. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. n. 1. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. num. 28. & seqq. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 32. n. 13.*

17. Sextò requiritur, quod omnes descripti examinentur super scientia, vita, & moribus, & prudentia, ab Episcopo, & eo impedito ab ejus Vicario Generali, & ab

Pars V.

Examinatoribus Synodalibus, elapso termino præfixo; adeò tamen, ut si fiat examen adhuc durante termino, non proinde concursus ex hoc capite est nullus, si nemo compareat post examen, qui se ob id læsum prætendat, vel si compareant alii, & isti etiam examinentur ante relationem Examinatorum, & electionem Episcopi. *Fagnan. in cap. cum sit ars n. 18. 48. & seq. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. §. 2. n. 12. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 19. & seq. Monacell. formul. legal. 10. tit. 5. n. 5. par. 1.*

18. Et si contingat contemporanea vacatio plurium Parochialium, ad omnes quidem indici debet Concursus prævia affixione distinctorum edictorum pro unaquaque Ecclesia; non tamen Episcopus tenetur separata peragere examina; sed concursus absolvi potest unico concurrentium examine; quia finis, & ratio, propter quam Concilium requirit examen est, ut Ecclesia à dignis, atque idoneis Parochis gubernetur, ut diximus in *Commentario*; Cum autem Episcopus de majori, vel minori idoneitate, & habilitate concurrentium ad omnes Parochiales eodem tempore vacantes rectè valeat se certiore reddere, judiciumque efformare absque minima læsione conciliaris dispositionis, mediante unico examine, hinc est, ut adimpleto primario sine per Concilium volito, curari non debet de materialitate plurium examinum literaliter non requisitorum in simultanea plurium Ecclesiarum vacatione, ut resolutum fuit à S. Rota in *Majoricen. Parochialis de Manacor* 2. *Julii 1708. §. utroque cum seq. coram R. P. D. Omanna, & 22. Febr. 1709. §. Discursus cum seqq. cor. R. P. D. Aldrovando.*

19. Septimo requiritur, quod elapso termino Edicti Episcopus inchoet quidem examen, sed illud eodem die non claudat, quando plures fuerunt descripti, sed sunt expectandi, vel vocandi, alioquin vitiatur concursus, si unus tantum ex descriptis examinetur, & his non citatis, neque expectatis claudatur concursus. *Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. n. 10. Massobr. in prax. habent. concurs. requisit. 3.*

20. *dub. 10.* Non vitiatur tamen concursus si concurrentes admissi sint ad actum examinis in mansionibus separatatis, non au-

Y 2 tem

- tem unitim, prout in concursibus aliarum Parochialium practicum fuit, ut resoluit S. Congregatio Concilii in *Æffina concursus* 1. Decembris 1708.
- 21 Peracto examine, requiritur octavo, quod Examinatores Synodales simul congregati, & collegiativè, cum Episcopo, aut eo impedito cum Vicario Generali dent sua vota; quæ non est necesse, ut dent secretè, sed sufficit, imò magis expediens est, quod illa ferant publicè, & deindè referant Episcopo; aut ejus Vicario Generali, quos idoneos repererint, & quos non, *Fagnan. in cap. eam te n. 15. & seq. & in cap. cum sit ars num. 10. de atat. & qualit. Barbof. hic n. 110. & seqq. Tondut. quest. benef. cap. 59. num. 1. tom. 1. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 46. 52. & seq. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. n. 4. Card. de Luc. annot. ad Concil. disc. 32. n. 9. & 11. & de Paroch. disc. 37. num. 19.* Adeo in actu approbandi, vel
- 22 reprobandi Episcopus, vel eo impedito, Vicarius Generalis, nullum votum habet decisivum; sed solum jus accedendi; Ad validitatem autem hujusmodi adhæfionis, seu ad hoc, ut Episcopus, vel Vicarius legitimè accedere possit, requiritur paritas votorum, seu quod omnes examinati ab examineribus sint pares in votis, si enim unus ex examinatis habeat ultra dimidiam, e. g. si unus ex examinatis fuerit à duobus examineribus approbatus, & ab uno reprobus, & alius pariter fuerit à duobus approbatus, & ab uno reprobus, & tertius fuerit à tribus examineribus approbatus; Episcopus, aut ejus Vicarius non potest accedere habenti paritatem votorum, ommissio tertio habente ultra dimidiam, seu habente tria vota, sed iste approbatus à tribus examineribus est instituendus. *Pignatell. consult. 125. per tot. tom. 4. Barbof. hic n. 115. & seq. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 211. num. 14. Ventrigl. in prax. par. 2. annot. 5. §. 1. n. 51. Card. de Luc. de Paroch. disc. 37. n. 25.*
- 23 Facta relatione ab Examineribus Synodalibus eorum, qui fuerint idonei approbati, in Parochialibus de jure patronatus Ecclesiastico, si institutio spectat ad Episcopum, requiritur nonò, quod Patronus eligat inter approbatos idoneum, aut magis idoneum, & illum præ-
- sentet Episcopo, qui eum instituere debet intrà duos menses à die præsentationis, aliàs institutio devolvitur ad Metropolitanum, aut viciniorum Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam arbitrio Patronorum juxta Constitutionem Pianam, & tradit *Antonell. de Regim. Eccles. lib. 3. 24 cap. 5. n. 28. in fin.* Adeò ut si Patronus præsentaret ante nominationem plurium personarum, & ante approbationem in concursu, præsentatio esset nulla *Barbof. hic nu. 143. & de Paroch. par. 1. cap. 2. sub nu. 124. Rot. decis. 80. nu. 8. & seqq. & decis. 102. nu. 5. & seq. coram Ubag.*
- 25 Si verò institutio spectet ad inferiorem, tunc requiritur, quod Episcopus eligat idoneiorem, quem Patronus præsentare debet inferiori, etsi secus fiat, institutio est nulla. *Barbof. hic nu. 141. Gratian. discept. 211. nu. 32. & seq. Pignatell. consult. 78. nu. 11. tom. 9.* Sicuti ad
- 26 Episcopum spectat eligere digniorem, & idoneiorem inter approbatos ab Examineribus Synodalibus, quando agitur de Ecclesiis Parochialibus liberis, aut jurispatronatus vacantibus in mensibus reservatis, quem præeligere poterit etiam extra locum examinis. *Fagnan. in cap. Eam te nu. 21. & 24. & in cap. Cum sit ars de atat. & qualit. n. 52. Barbof. hic n. 120. & 140. Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc. 32. n. 17. & seq. & de Paroch. disc. 37. n. 26.*
- 27 Hujusmodi præelectio dignioris, seu idoneioris potest etiam fieri à Vicario Apostolico in Diocesi à Summo Pontifice deputato ob ingravescentem ætatem Episcopi, & hæc sustinetur ad exclusionem præelectionis factæ ab Episcopo fene, ut decisum fuit à S. Congregatione Concilii in *Forosempronien. præelectionis ad Parochialem* 16. Novembris 1709. ubi vacata Ecclesia Parochiali S. Andreæ Castri Laureti de mense Martii, Episcopus concursum per edictum subscriptum à Vicario indixit habendum vel coram ipso, vel coram eodem Vicario Apostolico, ob ejusdem Episcopi ingravescentem ætatem jussu Summi Pontificis illi Diocesi præposito. Post itaque publicatum, & affixum edictum sub die 3. ejusdem mensis cum termino decem dierum, habitus fuit, & absolutus concursus coram dicto Vicario Apostolico, ac tribus

Exa-

Examinatoribus Synodalibus sub die 13. fæpediti mensis. Septem fuere concurrentes, quos inter Regius, Coppa, & Battellus omnium Examinatorum favorabilia vota unusquisque reportavit, reliqui verò, cum duorum tantum Examinatorum suffragiis, inter approbatos recensiti extiterunt. Successivè sub die 15. ejusdem mensis idem Episcopus uti magis dignum præelegit præfatum Coppam, mandavitque ad ejus favorem Bullas expediri, quemadmodum fuerunt expeditæ cum subsecuta possessione. Sed eademmet die Vicarius Apostolicus vigore suarum facultatum protestatus fuit in Cancellaria Episcopali Bullas fore expediendas ad favorem Regii tanquam magis idonei, qui similem protestationem emisit appellando, & pro nulla redarguendo præelectionem Episcopi. Unde quæsitum fuit = *An sustineatur præelectio Vicarii Apostolici, sive potius præelectio, & successiva provisio, Episcopi in casu &c.* = cui S. Congregatio respondit = *Affirmativè quoad primam, & negativè quoad secundam partem* =

Hoc præsupposito; in casu præfenti, concursus, de quo agitur, qualificatus non videtur supradictis omnibus requisitis, & consequenter apparet nullus; fuerunt namque in eo adhibiti Examinatores electi non in vera, & formali Synodo, sed electi in Synodo, quæ fuit suspensa: interfuit in examine alius, qui non erat Examinator Synodalis; & examen fuit expletum longè post decendum in edicto appositum, ac approbatio, & reprobatio concurrentium fuit facta ab Examinatoribus per vota publica.

His tamen non obstantibus cenfeo præfatum concursus esse validum; fuit namque in eo observata forma præscripta à S. Concilio Tridentino in hoc *Canone*, & à Constitutione S. Pii V., dum in eo fuerunt adhibiti tres Examinatores Synodales, fuerunt propositi casus ab Episcopo, & Examinatores suum officium expleverunt in interrogationibus, & in scrutinio responsum.

28 Quin attendi mereatur, quod Examinatores non erant Synodales, ex quo Synodus, in qua fuerunt electi, fuerit à Sacra Congregatione Concilii suspensa; quoniam qualitas Examinatorum Synodaliū nequit impugnari, cum illi depu-

tati appareant in Synodo Diocesana, quæ licet fuerit à dicta Sacra Congregatione suspensa, tamen suspensio fuit quoad Constitutiones, & Decreta, non verò quoad deputationem Examinatorum; ut rescripsit Sacra Congregatio Concilii in *Isclana Parochialis* 23. Julii 1718., ubi cum quidam Sacerdos rejectus in concursu habito occasione collationis Parochialis Ecclesiæ S. Spiritus Suburbii Celsæ in Civitate Isclana, impugnaverit eundem concursus, inter cætera præsertim ex eo, quod examen fuerit factum ab Examinatoribus deputatis in Synodo, quæ fuit successivè quoad ejus Constitutiones suspensa, non obstante simili exceptione concursus declaratus fuit validus. Et quidem hanc qualitatem passus fuit idemmet Sempronius ab Episcopo postpositus, qui cum se subjecerit iudicio dîctorum Examinatorum, in his illum concurrere agnovit, ac proindè eam impugnare non valet. *Rota in Pampilonen. Parochialis apud Garz. de benef. p. 9. cap. 2. n. 89. in fin.*

29 Minusque officit, quod interfuerit in examine quidam Canonicus extraneus, seu qui non erat Examinator Synodalis, quoniam ille non examinavit, nec suffragium dedit, nec relationem fecit, sed solum simpliciter interfuit in examine; non enim simplex præsentia alicujus non Synodalis est apta invalidandi concursus; sed ad hunc effectum requiritur, quod idem extraneus simul examinet, votum suum det, ac referat juxta quintum Requisite superius relatam, & tradit *Pignartell. consult. 21. n. 5. & 11. tom. 3.*

30 Neque adversatur, quod examen fuerit expletum longè post decendum e. g. elapsis tribus mensibus, & ultra à die expirati termini in edicto appositi, quia terminus decem, vel viginti dierum, qui præfigitur in hujusmodi edictis non est ad perficiendum examen, sed dumtaxat ad hoc, ut Patroni nominare valeant plures personas idoneas ad examen, vel ad convocandum eos, qui concurrere voluerint. *Lotter. de re benef. lib. 2. qu. 31. nu. 48. & seq. Ventrigl. in prax. p. 2. annor. 5. §. 1. n. 15. ibi = Nec Episcopus tenetur inchoare examen statim elapso termino edicti, sed potest illud differre ad sui libitum, dummodo intrâ quatuor, vel sex menses*

menses respectivè à die vacationis, examen expediatur = Massob. in prax. haben. concurs. requisit. 3. dub. 10. n. 1. & seq.

Denique non obstat, quod Examinatores in exquirendis qualitatibus Oppositorum non processerint per suffragia secreta; Quoniam ad validitatem concursus non requiritur, quod explentur per vota secreta, immò magis expedit, ut Examinatores palàm inter se sua vota conferant, ut testantur *Garz. de benef. p. 9. cap. 2. n. 107. Barbof. de offic. & potest. Paroch. p. 1. cap. 2. n. 68. & aliæ auctoritates superiùs relatæ §. Peractò*, & resolutum fuit à Sacra Congregatione Concilii in *Monopolitana concursus 13. Maji 1713.* ubi non obstante, quòd examen fuerit expletum longè post decendum, & Examinatores processerint per suffragia publica, fuit definitum concursum esse validum.

32 Descendendo nunc ad secundum Dubium respondeo, non constare in hoc casu de mala præelectione; Perpensis namque omnibus, & singulis Oppositorum qualitatibus, præelectio magis justa, congrua, & rationabilis dari non potest. Si quidem Titius est major ætate, diutiùs inservivit Ecclesiæ, pluries ad animarum curam fuit approbatus, ipse est vitæ innocentia, bonis moribus, prudentia, zelo, & sedulitate in sacris gerendis imbutus. E contra Sempronius licèt sit approbatus habilis ad hanc Parochialem ratione literaturæ; tamen deficiunt in eo supraddictæ qualitates; ac proindè Episcopus rationabiliter prælexit Titium in Curatum dictæ Ecclesiæ Parochialis, dum imbutus bonis moribus, prudentia, zelo, licèt minùs doctus, præferendus est æquè docto, aut doctiori, cujus mores non sint approbati. *Garz. de benef. par. 9. cap. 2. n. 111. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 4. n. 112. Card. de Luc. de Paroch. discurs. 1. n. 19. & disc. 6. n. 4. Rot. decis. 5. n. 4. & seq. coram Celso, & in Albanen. Archipresbyteratus 2. Junii 1702. §. Præterea coram R. P. D. Anfaldo, & in Lunen. Sarzanen. Parochialis 14. Januar. 1707. §. Si autem cum seq. coram R. P. D. Omana; Et attentis his qualitatibus emicantibus potius in præelecto, quàm in postposito, Sacra Congregatio Concilii in Abellinen. concursus 28. Febr. 1711., & in dicta Mono-*

politana concursus 13. Maji 1713. rescriptit, non constare de mala præelectione.

33 Insuper Titius totius populi curæ affectionem habet, illumque gentes omnes gratitudine, & benevolentia prosequuntur; è conversò Sempronius parum gratus hominibus illis, veluti non adèd illibatæ famæ in illorum opinione existens, reperitur; quòd pariformiter rationi omninò consonam Episcopi præelectionem convincit, cùm in seligendis Pastoribus, ii semper præferendi sint, qui populi affectione, & gratitudine potiantur, & è contra rejiciendi sint, qui personis parùm grati sum, & in eorum mala opinione versantur, dum promiscua, & continua desideratur dilectio inter Populum, & Rectorem. *Card. de Luc. de Paroch. disc. 1. nu. 19. disc. 2. nu. 4. disc. 3. nu. 11. disc. 137. nu. 27. Rot. in dicta Albanen. Archipresbyteratus 29. Januarii 1703. §. Parum, & §. Conspirabat coram R. P. D. Anfaldo; & prosequitur Rot. in dicta Lunen. Sarzanen. Parochialis 14. Januar. 1707. §. Et denique coram R. P. D. Omana.*

34 Ad tertium denique Dubium superiùs propositum, videtur respondendum, esse locum provocationi ad novum examen; Clara namque est Constitutio S. Pii V. in *Commentario* relatæ, juxta quam licitum est cuilibet ab irrationabili iudicio Episcopi appellare, & præelectum provocare ad novum examen coram Judice appellationis, adèd ut Postpositus appellare potest à præelectione, seu ab irrationabili iudicio Episcopi, non quidem in suspensione, sed tantùm in devolutivo, dum in beneficiis Curatis appellatio à præelectione, seu ab irrationabili iudicio Episcopi non causat effectum suspensivum, nec impedit præelectum, quo minùs possessionem Parochiæ apprehendat. *Fagnan. in cap. Eam te nu. 28. & in cap. cum sit ars n. 51. & 53. de at. & qual. Barbof. hinc nu. 154. & 156. Antonell. de regim. Eccles. lib. 3. cap. 5. §. 6. nu. 51. & 53. Tondut. quest. benef. cap. 59. n. 2. tom. 1. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. discept. 211. n. 11. Pignattell. consult. 77. nu. 52. tom. 9. Rot. decis. 178. n. 6. p. 18. rec. & decis. 24. n. 7.*

36 coram Celso. Quamvis in aliis beneficiis non curatis, sed simplicibus, etiam jurispatronatus, ad quorum consecutionem requiritur quoque examen, ut supra vidimus

- dimus *Canon. I.*, detur appellatio suspensiva à relatione, seu reprobatione Examinatorum, & Episcopi. *Rot. decis. 338. n. 3. & seq. coram Bich. & decis. 66. n. 9. coram Ottobon. & decis. 155. n. 3. p. 10. rec.*
- 37 Ac etiam idem Postpositus ab Episcopo in concursu provocare valet præelectum ad novum examen coram Judice appellationis, qui illud decernere debet, & præelectus tenetur se subicere novo examine coram Judice hic in Urbe, quamvis rejectus prius non doceat de irrationabili judicio Episcopi, ut docet, & quampluribus resolutionibus S. Congregationis Concilii probat *Fagnan. in cap. Eam te de atat. & qualitat. n. 31. & seqq. Barbof. hic n. 157. Card. de Luc. in annot. ad S. Concil. disc. 32. nu. 24. & de Paroch. disc. 7. nu. 3. & 8. Rot. decis. 24. n. 5. & 13. coram Celso; & decis. 9. n. 2. & seq. & decis. 10. n. 4. post Monacell. Formul. legal. tom. 4. & in Lunen. Sarzanen. Parochialis 14. Janu. 1707. S. Non enim coram R. P. D. Omana, & in Comen. Præpositura 13. Maji 1707. S. Clara coram eodem, & resolutum fuit ab eadem S. Congregatione Concilii in dicta Isclana Parochialis 23. Julii 1718. ad secundum.* Ac non obstantibus distantia loci, ingravescencia ætatis Oppositorum, & ingruentia bellorum, nam Constitutio Piæ decernit provocationem ad novum examen coram ipso appellationis Judice fieri posse, quæ verba præsentiam appellati necessariò requirunt. *Rota decis. 263. nu. 4. coram Peutingen. & decis. 5. nu. 14. & decis. 24. n. 13. & seq. coram Celso, & in Placentina Parochialis 25. Februar. 1707. S. Absoluta, usque ad fin. coram R. P. D. Anfaldo, & in dicto Comen. Præpositura 13. Maji 1707. S. Quodque coram Omana.*
- 39 Imò ipsemet Præsentatus à Patrono laico, si in examine fuerit reprobatus ab Examinatoribus Synodalibus, ab hac reprobatione potest se appellare, & est locus novo examini delegando in Curia, si per documenta doceat de sua idoneitate, ut rescripsit S. Congregatio Concilii in *Nucerina Paganorum Parochialis 20. Septembris 1704.*, ubi quidam Sacerdos præsentatus à Patronis ad beneficium Curatum Terræ Angriæ Nucerinæ Diocesis de jurepatronatus laicorum, dum institutionem peteret ab Ordinario, fuit in examine tamquam insufficientis ab Examinatoribus Synodalibus reprobatus per sententiam, per quam etiam declaratur illum non esse ad dictum beneficium instituendum, sed idem Sacerdos appellationem ab ea interposuit, exhibendo plura documenta de sua idoneitate, & remissa causa ad dictam S. Congregationem, ac disputatis in ea dubiis; Primo = *An sit locus novo examini, & quatenus affirmativè.* Secundo = *An, & cui sit delegandum* = placuit ipsi respondere ad primum *Affirmativè*; ad secundum *In Curia*.
- 40 Verùm his minimè attentis existimo in hoc casu non esse locum provocationi ad novum examen. Etenim, licet ad effectum, ut Judex appellationis decernere valeat novum examen, non requiratur, quod appellans prius doceat de irrationabili judicio Episcopi; requiritur tamen, quod det aliquem fumum irrationabilitatis, & mala præelectionis Episcopi; e. g. quod Postpositus probet se esse æqualiter approbatum, & demonstret etiam per fides extrajudiciales se esse magis qualificatum, Præelectum esse familiarem Episcopi, esse invisum populo, esse infamatum de incontinentia, fuisse aliquando inquisitum, aut probet Episcopum ante examen concurrentium animum suum propalasse velle gratificare electo, aut prohibuisse Examinatoribus relationem facere in scriptis, prout fieri solet, sed jussisse sibi verbaliter referri, quinam ex concurrentibus essent idonei; ex his enim omnibus suspecta redditur electio, & præsumitur Episcopus talem eligendo non rationis tramitem sequutus fuisse, sed passionis affectum. *Fagnan in cap. Eam te de atat. & qualitat. num. 39. & seq. Monacell. Formul. legal. i. tit. 15. n. 21. p. 2. Card. de Luc. de Paroch. disc. 7. nu. 9. Rot. in Comen. Præpositura 13. Maji 1707. S. Clara coram R. P. D. Omana.* In casu præsentis Sempronius postpositus nullum fumum dat de irrationabilitate judicii Episcopi; imò ex supradictis apparet præelectionem non posse esse magis justam, ac rationabilem, & consequenter ipsi non est decernendum novum examen.
- 41 Advertere autem debet Appellans ab irrationabili judicio Episcopi se duram provinciam aggredi, tum quia causam appellationis prosequi tenetur in judicio Ord-

- Ordinario per tres sententias conformes, rum quia etiam si probaret se esse magis qualificatum in literatura, gradu, nobilitate, ætate, non proindè convinceret iudicium, seu præelectionem Episcopi de irrationabilitate, quia illud interponi potuit ab Episcopo ob alias qualitates existentes in Prælecto, quæ non existunt in Postposito, eo quia e. g. prælectus sit vitæ magis exemplaris, prudentior, magis gratus, & proficiuus Parochianis. *Fagnan. in dicto cap. Eam te de atar. & qualit. n. 32. Carol. Anton. de Luc. ad Gratian. disc. 211. n. 1. Pignattell. consult. 118. nu. 4. & seqq. tom. 1. Card. de Luc. de benef. disc. 69. n. 14. & in annot. ad Concil. disc. 32. n. 20. Monacell. Formul. legal. 2. tit. 15. n. 22. p. 2.*
- 42 Et hic nota, quod examen per concursum non solum requiritur in beneficiis Parochialibus; verum etiam in beneficiis non Parochialibus, quando ex lege foundationis, aut ex alia dispositione huiusmodi beneficia simplicia conferenda sint per concursum adinstar Parochialium, etiam si vacent in mensibus reservatis, si lex foundationis sit Beneplacito Apostolico munita, ut resolutum fuit à S. Rota in *Derthusen. Beneficii 22. Junii 1705. per tot. coram. R.P.D. Omanna.*
- 5 *Non est necessarius concursus in Parochialibus de jure patronatus Ecclesiastico, quando illa per tempus ferè immemorabile consueverint provideri absque concursu. & n. 11. & 17.*
- 6 *Consuetudo ferè immemorabilis negativa concursus, maxime si sit introducta cum scientia, & patientia Papæ, præsumere facit Summum Pontificem voluisse observari Conciliarem concursum in Parochiali.*
- 7 *Publica fama, & opinio, quod in provisione Parochialis non sit necessarius concursus, probat eandem Parochialem esse vel ex lege foundationis, vel ex privilegio Apostolico ab eo exemptam.*
- 8 *Enumerantur Casus, in quibus non est necessarius concursus in beneficiis Curatis. & n. 18.*
- 10 *Non omne initium excludit immemorabilem.*
- 12 *Observantia centenaria, & ferè immemorabilis dupliciter sumi potest, & quomodo? Vide ibi.*
- 13 *Decretum irritans, quamvis inficiat observantiam centenariam in linea præscriptionis, non inficit tamen illam in linea possibilitatis allegandi quemcumque titulum meliorem de mundo. & n. 14.*
- 15 *Quod Parochialis fuerit ab immemorabili collata absque concursu, prævio dumtaxat examine solius præsentati, ex quibus probetur? Vide ibi, & n. 16.*

ARGUMENTUM.

An necessarius sit Concursus in provisionibus Parochialium de Jure patronatus Ecclesiastico, quando per consuetudinem ferè immemorabilem illæ solitæ fuerint provideri absque Concursu.

SUMMARIUM.

- 1 *Decretum irritans adjectum in dispositione Conciliari, & Constitutioni Piana destruit, & prohibet omnem desuetudinem, & contraventionem.*
- 2 *Immemorabilis numquam sublata censetur, nisi per mentionem, & derogationem specialem. & num. 9. & 17.*
- 3 *Immemorabilis observantia negativa concursus in Parochialibus an sit impossibilis, tam ante, quam post Concilium, & n. 4. & n. 10.*

C A S U S I I.

PER tempus ferè immemorabile Ecclesia Parochialis A de jure patronatus Ecclesiastico fuit provisa absque ullo concursu, solum ad nominationem Patroni, prævio examine super doctrina, & qualitatibus solius præsentati; Prætendit nunc Episcopus, eadem Ecclesia vacante, illam conferre cum indicatione concursus, acriter contradicente Patrono; Quæritur an necessarius sit concursus in provisione hujus Ecclesiæ, quando ferè ab immemorabili illa solita fuit provideri absque concursu?

Præceptor meus, ut audivi, dum apud ipsum studebam, credit esse omnino servandam formam concursus in Parochialibus de jure patronatus Ecclesiastico, etiam si illæ finè concursu ab immemora-

bi-

bili confueverint provideri; Movetur ad ita sentiendum ex eo, quia Concilium Tridentinum in hoc *Canone* processit per viam novæ legis, tradendo novam formam in provisionibus Ecclesiarum Parochialium, & consequenter status antiquus dicitur immutatus, & alter de novo in posterum introductus, ita ut nulla etiam immemorabilis inobservantia suffragari possit ad tollendam hanc novam formam providendi propter decretum irritans adjectum in dispositione Concilii, & in Constitutione Piana, quod omnem destruit, seu prohibet desuetudinem, & contraventionem juxta *Rot. decis. 192. n. 10. p. 18. rec. & in Novarien. Parochialis Loci Cisti super maintenance 27. Januar. 1710. S. fin. coram Eminentissimo Priolo*; ibi = *Quod si eo, vel magis procedit, dum assistentia juris, quam habet Reverendiss. Episcopus pro indicendo concursu fundatur in dispositione S. Concilii Tridentini sess. 24. de reform. cap. 18. & Constitutionis 33. B. Pii V. à quibus tamquam munitis decreto irritanti, contraria, si que adesset, possessio, infecta remaneret* =

2 Neque obstat dicit ipse rationem illam, quod immemorabilis nunquam sublata censeatur, nisi per mentionem, & derogationem specialem, quam proinde, si Concilium non expressit, dicitur præservasse, exemplo aliorum decretorum ipsius Concilii, quæ, ubi voluerunt, immemorabilem specialiter derogarunt.

3 Quoniam respondet distinguenda esse tempora; Aut volumus desumere immemorabilem à parte antea, scilicet antequam supervenerit hujusmodi dispositio Conciliaris, & hoc est impossibile, quia impossibile est, quod nasci potuerit consuetudo, seu præscriptio exclusiva formæ concursus, antequam nasceretur ipsa forma concursus, quia quod natum non est, præscribi non valet, nec datur consuetudo contra subjectum in rerum natura non præexistens, nec immemorabilis unquam est allegabilis quo ad ea, quæ superveniunt de novo. *Rot. decis. 150. n. 2. versio. Imò lib. 1. coram Puteo, & decis. 386. n. 32. coram Bich. & in Novarien. Parochialis Loci Cisti super bono jure 27. Januar. 1710. S. Hins. coram Eminentissimo Priolo.* ibi = *Hic autem tollitur qualibet*
Pars V.

ambigendi ansa, dum ex supra recensitis actibus, nè dum non concluditur, sed imò prorsus excluditur prætenso immemorabilis, qua sicuti dici nequit introducta ante Concilium, cujus sanctione dumtaxat præscripta fuit forma providendi Parochiales per concursum, ideoque provisiones antea factæ sine concursu, allegari ad hunc effectum non merentur =

4 Aut verò desumere volumus immemorabilem à parte postea, scilicet post Concilium, & est pariter impossibile, quia dato initio, non amplius datur immemorabilis, sed solum centenaria; ista autem nec minus allegari valet, quia decretum irritans, quo munitur Concilium Tridentinum, & Constitutio Piana, adeò irritat omnem contrarium actum, ut non permittat ullo tempore, aliquam inchoari posse consuetudinem, vel præscriptionem, etiam centenariam, ut animadvertunt *Card. de Luc. de jurisdict. disc. 95. n. 7. & seq. Pignattell. consult. 134. n. 16. tom. 1. Garz de benef. p. 5. cap. 4. n. 179. & seq. & p. 9. cap. 2. n. 345. in fin. Rot. decis. 317. n. 12. & seqq. p. 16. & decis. 32. n. 18. & decis. 192. n. 10. p. 18. rec. & decis. 572. n. 101 & seqq. coram Cerro.*

5 At his non obstantibus cenfeo in provisione hujus Ecclesiæ Parochialis Patronalis, non esse servandam formam concursus in hoc *Canone* præscriptam; fuit namque hæc Ecclesia ab initio suæ foundationis usque nunc, & sic per lapsum plusquam centum annorum semper provisæ absque ulla indictione concursus, prævio tantum examine solius præsentari, quæ observantia negativa plusquam centenaria, & ferè immemorabilis præsumere facit dictam Ecclesiam vigore legis foundationis, aut alterius tituli melioris de mundo esse exemptam ab hujusmodi concursu; quia si non fuisset taliter exempta, Episcopi pro tempore, qui præsumuntur cordi habere observantiam Decretorum Concilii, non permisissent per tanti temporis spatium, eam conferri absque concursu. *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 18. à n. 45. & gloss. 33. n. 4. Gratian. discept. forens. 578. n. 11., & in terminis Rot. decis. 52. n. 2. coram Uhago, & in Novarien. Parochialis, seu Vicariæ S. Martini 2. Julii 1706. S. Nihilominus coram R.P.D. Ansaldo* ibi = *Nihilominus quoties super acce-*
Z dat

dat in contrarium immemorabilis consuetudo nusquam, ut diximus, facta indictionis concursus, nusquam practicati examinis, hoc totum tribuendum erat titulo præsumptivo concessionis Pontificiæ &c. Cum consuetudo immemorabilis, vel centenaria verè præscripta, secum ferat facultatem allegandi omnem, & quemcumque titulum (ut dicunt nostri Doctores) meliorem de mundo = Et in Novarien. Parochialis 16. Decemb. 1707. §. Atque hinc coram eodem ibi = Atque hinc facilius sternebatur altera via, in qua citrà fluctuationem, junctim reliqui Domini ambulabant, nempe quòd in omnem causam eximeret collationem hujus Curæ à quolibet Conciliari, seu Piano concursu, immemorabilis negativa consuetudo = Et in Legionen. Parochialis 11. Januarii 1706. §. Quibus coram R. P. D. Kaunitz inferiùs legen.

6 Imò hæc eadem negativa consuetudo ferè immemorabilis præsumere facit, Papam respectu dictæ Parochialis Conciliarum concursum servari noluisse, quia verisimile non est in adeò longævo temporis decursu nullam contigisse vacationem in mensibus reservatis, ut ponderavit Rot. decis. 661. n. 11. p. 19. rec. & in Compstellana Parochialium 13. Martii 1716. §. Indubitanter coram R. P. D. Ansaldo; & cum non afferatur ullus concursus factus ad hanc Ecclesiam Parochialem, verisimile est, quòd ea fuerit provisà à Sede Apostolica in mense reservato, quo vacavit, absque concursu, cum solo examine Provisi Apostolici, ex quo sequitur respectu hujus Ecclesiæ per non usum cessare dispositionem hujus Canonis, non obstante decreto irritanti, quia provisio hujus Ecclesiæ facta absque concursu cum scientia, & patientia Papæ præsumere facit Summum Pontificem, quo ad dictam Ecclesiam derogare voluisse huic Decreto, & ab hujus dispositione recedere Card. de Luc. de jurisdict. discept. 53. n. 5. & de Paroch. disc. 25. n. 5. & de Regul. disc. 49. n. 13. §. Pro isto. Rot. dec. 194. n. 17. & seq. p. 4. tom. 2. rec.

In idem coincidit animadversio illa, quòd in tanti temporis decursu numquam fuit dicta Parochialis ab ullo impetrata in Dataria Apostolica jure devoluta ob non servatam formam concursus, prout impetrari permittitur à Constitu-

7 tione Piana, quod præsumere facit esse publicam famam, & opinionem omnium, quòd in ejusdem Ecclesiæ provisione non sit necessarius concursus, quæ publica fama, & opinio juncta cum possessione plusquam centenaria probat eandem Ecclesiam vel ex lege foundationis, vel ex Privilegio Apostolico esse exemptam ab hujusmodi concursu Card. de Luc. de jurepat. disc. 57. n. 16. Gratian disc. 78. n. 35. Rot. dec. 314. n. 9. p. 6. & dec. 207. n. 6. p. 7. rec.

8 Absque eo, quod hujusmodi consuetudo negativa ferè immemorabilis dici valeat irrationabilis, dum videmus in pluribus casibus non esse necessarium concursum; nimirum in beneficiis Curatis unitis, in beneficiis Curatis Regularibus, quæ conferuntur in titulum juxta dispositionem Tridentini cap. 11. sess. 25. de Regul. vel in beneficiis Curatis Regularibus, quæ sæcularibus commendari consueverunt; in permutationibus, quæ fiunt de beneficio simplici, & Curato; in resignationibus Parochialium factis in manibus Papæ; in Parochialibus de jurepatronatus laicali, vel quæ sint valde exigui redditus, ut nemo sit, qui se examini quærat subijcere; in dignitatibus, aut Canonicatibus habentibus curam Animarum annexam Fagnan. in cap. Cum sit ars de etat. & qualit. n. 22. & seqq. & in cap. Cum ad nostram de elect. n. 22. & seqq. Garz. de benef. p. 9. cap. 2. n. 195. & seq. Ventrigl. in prax. p. 2. annot. 5; §. 2. n. 11. cum seqq. Pignattell. consult. 78. num. 79. tom. 9. Barbof. hic num. 25. & de Paroch. p. 1. cap. 2. n. 23. Gonzal. super regul. 8. Cancell. gloss. 6. num. 121. Vivian. de jurepat. lib. 10. cap. 1. num. 54. 63. & seqq. Tondut. quæst. benef. p. 3. cap. 187. num. 3. & seqq. tom. 2. Rot. in Novarien. Parochialis, seu Vicaria S. Martini 2. Julii 1706. §. Absque eo coram R. P. D. Ansaldo; & in dicta Legionen Parochialis §. Multoque magis inferiùs impressa, & in Novarien. Parochialis Loci Cisti 27. Januar. 1710. §. Majorem coram Eminentiss. Priolo. Ergo non est, cur etiam Parochiales, quæ per tempus ferè immemorabile sine concursu, consueverint provideri, absque eodem concursu conferri successivè non debeant.

Respondendo autem ad motiva contrariæ opinionis mei Præceptoris, admit-

titur

titur Concilium in hoc *Canone* induxisse novam formam providendi Parochiales; sed cum in eo non legatur expressa derogatio contrariæ consuetudinis immemorabilis, aut ferè immemorabilis; sicuti legitur in *Canone I.* ubi præscribitur simplex examen in beneficiis simplicibus Patronalibus, censetur illam voluisse præfervare; tanta enim est vis immemorabilis, ut illa, nisi specificè abrogetur verbis quantumvis generalibus, & effrenatis numquam sublata censeatur. *Rota decis. 257. num. 5. coram Ubaldo, & decis. 32. nu. 4. coram Celso, & decis. 52. nu. 7. coram Ubago.*

10 Quin valeat responsio, quod sit impossibile dari in hoc casu immemorabilem; Quoniam licet sit impossibile dari immemorabilem à parte antea, seu ante Concilium ob rationem ibi expressam, tamen non est impossibile dari à parte postea, seu post Concilium; siquidem non omne initium excludit immemorabilem, stare enim bene possunt simul initium, & immemorabilis, ut pluribus exemplis probat *Card. de Luc. de alienat. disc. 3. n. 21. Rot. decis. 214. nu. 3. & seq. lib. 2. p. 3. divers. & decis. 243. lib. 3. p. 3. divers. nu. 2. & seq.* Et quidem non desunt Doctores, qui docent, quod possessio centum annos excedens dicatur immemorabilis, ita enim de possessione centum, & octo annorum, quod immemorabilis dicatur scripsit *Socin. jun. conf. 7. ex nu. 16. lib. 3. & de possessione centum, & viginti annorum, quod immemorabilis dicatur, tradit Jason. conf. 208. nu. 8. lib. 2. & possessionem etiam centum, & triginta annorum, esse immemorabilem, firmavit Natta conf. 446. nu. 11. & conf. 456. nu. 14. & quod possessio centum, & quadraginta annorum dicatur immemorabilis, tradunt *Buratt. conf. 160. lib. 1. Socin. jun. conf. 76. n. 57. 73. 90. lib. 1. Natta conf. 446. nu. 11. & conf. 456. & in possessione 174. annorum docet Decian. conf. 40. n. 54. vol. 1. præsumitur namque, quod tanto tempore elapso, non possit hominum memoria extare, quod est de substantia immemorabilis, ut hæc omnia refert *Castill. controuv. jur. lib. 5. cap. 93. §. 8. num. 52. & seqq.***

11 Sed etiam per hypothesim omissio, quod sit impossibile dari immemorabilem

Part V

lem à parte postea; seu post Concilium, & quod solum sit possibile post Concilium centenaria; adhuc dicendum est vigore istius negativæ observantiæ centenariæ, aut plus quàm centenariæ, & ferè immemorabilis; non esse necessarium concursum in provisione hujus Ecclesiæ Parochialis, non obstante Decreto irritante, quod continent omnia Decreta Concilii per confirmationem Pii IV., & Constitutio Piana.

12 Quoniam præsupponendum est observantiam centenariam, & ferè immemorabilem sumi posse in linea prescriptionis, seu uti præscriptivam contrarii usus, & destructivam formæ concursus demandatæ à Concilio in provisionibus Parochialium de jurepatronatus Ecclesiastico, & in linea possibilitatis allegandi legem foundationis exclusivam concursus, aut Privilegium Apostolicum, seu ut illativam legis foundationis exclusivæ concursus, aut alterius tituli, ut animadvertit *Card. de Luc. de Regul. disc. 51. nu. 12. & de alienat. disc. 3. n. 14. & seq.*

13 Quamvis Decretum irritans inficiat, & irritat possessionem, seu observantiam centenariam in linea prescriptionis, seu uti præscriptivam, & destructivam dispositionis Conciliaris, juxta auctoritates in contrarium relatas, quibus addo *Fagnan. in cap. Cum olim n. 37. & 53. de majorit. & obed. & in cap. Non amplius nu. 30. & seq. de instit. Gonzal. ad regul. 8. Cancell. gloss. 67. n. 12. & seqq. Bonden. collect. legal. 4. volum. 2. num. 166. Card. de Luc. de præem. disc. 7. n. 28. & in annot. ad Sac. Concil. discurs. 1. nu. 16. & disc. 22. nu. 7. & de Paroch. disc. 14. n. 4. Rot. decis. 597. n. 2. p. 9.*

14 Tamen non inficit, nec annullat observantiam centenariam, & ferè immemorabilem, ut illativam possibilitatis legis foundationis exclusivæ formæ concursus, seu non impedit vim, & efficaciam, seu facultatem allegandi legem foundationis, aut alium titulum meliorem de mundo, quàm antiquissimum tempus tribuit *Card. de Luc. de alienat. discurs. 2. n. 8. & de benef. disc. 65. nu. 18. & de Paroch. disc. 24. num. 14. Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloss. 18. à n. 45. Gratian. discept. forens. 578. n. 11. Rot. in Novarien. Parochialis, seu Vicaria S. Martini 2. Julii 1706. §. Nihilominus coram R.P.D. Ansaldo,*

Z 2

Saldo,

saldò, & in Novarien. Parochialis 16. Decembris 1707. S, Atque hinc coram eodem.

R. P. D. KAUNITZ

Legionen. Parochialis.

Luna 11. Januarii 1706.

Secuta vacatione Parochialis Ecclesiæ de Taranillo sitæ intrâ limites Archidiaconatus de Zea, Archidiaconus in vim juris, quo gaudet præsentandi ad Beneficia sui Archidiaconatus, Matthiam Garziam de Torres ad illam præsentavit, qui prævio examine, lataque sententia contra Procuratorem Fiscalem Tribunalis Ecclesiastici ab Ordinario Legionen. fuit institutus, & in possessionem ejusdem Parochialis immisus. Adversus quem, insurgente Jacobo Fernandez Prieto sub prætextu, quod provisio Parochialis devoluta esset ad Sanctam Sedem Apostolicam, ex quo non fuisset servatus concursus in Parochialibus de jurepatronatus Ecclesiasticorum exquisitus à Sac. Concilio Tridentino *sess. 24. de Reformat. cap. 18.*, & per Bullam san. mem. Pii V. in ordine *la 33.*, idem Jacobus ex hoc capite Parochialem impetravit; Et licet Matthias sub clypeo immemorabilis consuetudinis non servandi concursum in Parochiali, de qua agitur niteretur excludere Jacobum, nihilominus, quia informia dumtaxat documenta ad hunc effectum adducebantur per tres vices coram bon. mem. Pio, nostrum Tribunal coactum fuit respondere pro executione litterarum Apostolicarum Jacobi.

Donec Defensores Matthiæ opportunius insistentes Causæ defensionis mihi committi à Signatura Justitiæ curarunt causam appellationis à sententia lata per memoratum bon. mem. Pium, & incontinenti in eadem nimirum Audientia, in qua coram me responsum fuit, procedendum esse ad legitimam executionem litterarum Apostolicarum Jacobi insteterunt pro litteris remissorialibus, & compulsorialibus ad finem legitimè justificandi prædictam immemorabilem non practicandi concursum, & super petitis favorabilem resolutionem obtinuerunt, ut ex Decisione super Remissoria, edita

7. Decembris 1703., compilatoque utroque Processu, tam compulsoriali, quàm remissoriali, eoque ad Urbem transmissio, cum perspectum fuisset non extitisse transmissa simul cum litteris remissorialibus Judici Delegato etiam Interrogatoria data ex parte Jacobi, ex quo eadem litteræ jam Portitori consignatæ fuerant, cum Interrogatoria fuerant in actis allata, hinc Rota sub die 6. Junii 1704. rescripsit = *Dilata, & iterum examinentur Testes cum Interrogatoriis Partis*, cujusmodi decreto plenariè adimpleto, & hinc inde partibus jura sua validè deducentibus responsum fuit = *Recedendum à decis.*

15 Ex testibus quippè formiter examinatis constitit Parochialem, de qua agitur, ab immemorabili fuisse collatam ad simplicem nominationem Archidiaconi, prævio dumtaxat examine super qualitate, doctrina, & sufficientia solius Præsentati; Deponunt enim, quod ipsi ultra spatium 40. Annorum viderint fieri provisiones absque concursu, & audivisse à suis majoribus ita fuisse practicum retroactis temporibus, quin nec ipsi, nec sui majores quidquam audiverint in contrarium, nec aliter etiam rem esse potuisse, quin hoc sciverint, reddentes causam, ex quo sunt Advocati, & Notarii Curia Ecclesiasticæ Legionen. Unde juncta eorum provecata arate, bona qualitate, de qua etiam deponit Judex remissorialis, plenè probant controversam immemorabilem ad præscript. *gloss. in cap. 2. verbo memoria de præscript. in 6. Marefcot. var. resolut. lib. 3. cap. 100. num. 19. & seqq. Saminiat. contr. 22. n. 27. Rot. decis. 690. num. 2. cor. Cerro, & dec. 116. num. 55. coram Zarat. & dec. 472. n. 19. par. 19. rec.* Eoque magis cum id etiam resultet ex alio consimili, ac formali examine quinque Testium peracto usque de anno 1685. ac legitimè compulsato ex authenticis libris nuncupatis de Bezerro per Notarios, & Officiales Legionen. custoditis, qui cum ultra deponant de specialibus actibus, in quibus, opponentibus Promotoribus Fiscalibus, præfata immemorabilis fuit in contradictorio Judicio canonizata, inficiari non potest, quin novi Testes, juncto dicto antiquo examine aliorum, quàm maximè conducant ad intentum Præsentati

tati ab Archidiacono, qui de Testibus fomentum recipientibus ab aliorum examine facto in simili causa sequitur *Rota decis. 360. num. 9. par. 5. rec. & in Romana Immissionis 28. Januarii proxime præteriti §. Indubitantius, coram R. P. D. meo Omaña*, & de lite mota cum subsequuta succumbentia Promotorum Fiscalium molestantium firmat *Paris de Confid. qu. 28. num. 259. Garz. de Benefic. part. 5. cap. 9. n. 106. & seqq. & in Meleuitana Jurispatron. 31. Martii 1702. §. Etenim, coram R. P. D. meo Scotto*.

16 Istæque Testium qualificatæ depositiones validissimè apparuerunt corroboratæ ex plurimis scripturis compulsatis, ex quibus constitit collata fuisse Beneficia ad solam præsentationem Archidiaconi, nulla facta mentione concursus, absque eo quod nè quidem ulla afferri potuerit provisio, in qua ille fuerit servatus; ex hoc enim datur intelligi, verè prædictum concursum nunquam servatum fuisse, cum alioquin Episcopi satis vigiles in curanda observantia Decretorum Concilii Tridentini tendentium in augmentum priorum jurium, non omisissent per adeò longum tempus, ac in tot sequutis vacationibus illum indicare, ac ad actum perducere, *R. P. D. meus Ansaldo. in addit. ad dec. 78. num. 71. coram eodem Rot. in Neritonen. jurispatronatus super bono jure 26. Februarii 1703. §. Nec ad eruendum coram R. P. D. meo Priolo, & in Cremonen. Beneficii 11. Maji 1705. §. Nec provisioni coram Me*.

Nec debilitari valuit enunciatum examen Testium, ex quo fuerit peractum extra terminum duorum mensium à die consignationis factæ Portitori, ac ex eo, quod dum Testes se referunt ad collationes, nec minus fidem promereantur, legitimè non compulsatis; ac allatis enunciatis collationibus, quidquid enim Cause Notarius extra spheram proprii officii asserere conatus fuerit, placuit DD. terminum duorum mensium incipere debuisse à die præsentationis litterarum remissorialium faciendæ Judici delegato, nam tempus duorum mensium alioquin esset nimis breve, detracta enim medietate, quæ penè absimitur in itinere, non superest tempus sufficiens, tam ad examinandum, quàm ad danda Interro-

gatoria Testibus, qui nec ad libitum, quandoque conducì possunt, quinimò cum ad reprobandum detur terminus unius mensis esset longior primo, quod non est admittendum, quare insequendo potiùs proximæ Curiaë tempus incipere solum debet à die consignationis faciendæ in partibus *Ridolphin. in prax. par. 1. cap. 12. num. 10.* fortius cum Testes bis suppositi fuerint examini, ac in hoc secundo fuerint data interrogatoria, proindè que non est adeò facienda reflexio lapsus termini à die consignationis Portitori, dum principalis essentia examinis consistit in interrogatoriis Partis, non autem, an terminus assignatus ex causa lapsus fuerit, cum videamus etiam sufficere testes intrà illum jurasse, etiam in casu, quo est certa temporis computatio, quamvis post terminum fuerint examinati, *Rot. dec. 1228. num. 7. coram Coccin.* Datio enim interrogatoriorum semper reputata fuit talis efficacitæ, ut nostrum Tribunal plerumque ex ejus motivo sumpserit arbitrium profananda nullitate examinis Testium, quamvis pars, quæ dedit interrogatoria fuerit protestata de non consentiendo in jurisdictionem, & examen, *Adden. ad Burratt. dec. 518. num. 19. Manz. consult. 275. num. 15.*

Collationes autem, sententiæ, cæteraque documenta, ad quæ se referunt Testes, jam fuerunt compulsata in prima expeditione, contra quæ cum nihil fuisset oppositum, sicuti gestum fuit contra Testes, quos ob id opus fuit repetere cum Interrogatoriis Partis, quæ in primo examine fuerant omissa, superfluum fuit ad iteratum actum devenire, cum nisi doceatur clarè, & incontinenti de nullitate prioris compulsationis, numquam debeat ad novam deveniri. *Rot. dec. 1358. n. 4. coram Emerix*.

17 Quibus præmissis facilè negotium fuit assequi, quàm incongrua, ac insubsistens fuerit prætenso irrelevantia prædictæ immemorabilis consuetudinis, cum planum sit eandem suffragari etiam contra citatam sanctionem Conciliarem, ac Bullam Pianam super indictione concursus, quemadmodum firmat *Pilaja dec. Pontific. lib. 3. decis. 1. n. 144. circa finem, Rota decis. 52. ex num. 2. ad 8. coram Ubag. & in Novarien. Parochialis, seu Vicaria S. Mar-
rini*

tini 22. Junii 1705. §. Et nihilominus, & in eadem super manutentione §. Non resultante, coram R.P.D. meo Caprara, & quidem non obstante decreto irritanti, ac clausula sublata adjecta in confirmatione Concilii, ac in Bulla Piana, ex quibus prætendebatur, infectam remansisse tam antecedentem, quàm subsequutam possessionem, quia per decretum quantumvis destructivum contrariarum consuetudinum nunquam censetur sublata immemorabilis, nisi de ea fiat specifica mentio, Gonzalez ad regul. 1. Cancellar. gloss. 33. n. 5. & seqq. Gratian. discept. 492. n. 6. Barbof. ad Concil. sess. 24. cap. 10. de reformat. sub n. 25. Panimoll. decis. 1. adnot. 10. ex n. 23. & adnot. 11. n. 38. Rot. dec. 242. sub num. 1. & dec. 610. ante num. 2. par. 2. rec. Et in terminis enunciata Constitutionis Pianæ la 33. Rot. dec. 197. num. 5. par. 9. & dec. 516. n. 16. par. 18. rec. & in Tarraconen. Parochialis 2. Maji 1698. §. Quia in contrarium, coram R. P. D. dell' Olmo; Immemorabilis namque præsumere facit contrariam legem foundationis, ac etiam Privilegium Apostolicum, ac quemcunque alium meliorem excogitabilem titulum, ac proindè allegabilis est adversus quamlibet sanctionem contrariam, quamvis suffultam clausula sublata, ac irritanti decreto, Frass. de Reg. patronat. Indiar. cap. 31. n. 31. Card. de Luca de Benefic. disc. 32. n. 2. & 4. Rot. in Deribusen. jurisdictionis 6. Februarii 1696. §. Et dispositione, coram ho. mem. Pio.

18 Multoque magis crescit argumenti evidentia, si perpendatur, quod prædicta consuetudo non potest censi, nec contra bonos mores, nec contra legem Divinam; Passim enim videmus in tot casibus positivè non esse necessarium concursum, ut de Parochialibus jurispatronatus Laicalis firmat Fagnan. in cap. cum ad nostram num. 28. de elect. Romaguer. ad Synodal. Gerunden. lib. 3. tit. 11. cap. 8. n. 2. Murga de Benefic. quest. 3. n. 55., & de Parochialibus unitis, & de Mensa Noal. conf. 46. num. 2. & seqq. Romaguer. ad Synodal.

Gerunden. d. lib. 3. tit. 4. cap. 8. num. 9. Rot. dec. 788. num. 1. & dec. 1701. per tot. cor. Emerix., & de Beneficiis Regularium, quibus incumbit cura Animarum Fagnan. in d. cap. cum ad nostram sub num. 22. de elect. Barbof. ad Concil. sess. 24. d. cap. 18. n. 8. & de offic. & potestat. Paroch. par. 1. cap. 2. num. 15. & seqq. ubi plures alios casus enumerat, in quibus non opus est concursu, quos etiam innuit Fagnan. in cap. cum sit ars sub num. 19. de etat. & qual. Garz. de Benefic. par. 9. cap. 2. à n. 175. ad 199. Ratio autem est satis convincens, quia inspectis antiquis Canonibus Beneficia solum capacibus, & idoneis conferenda sunt per solum examen, non autem per formalitatem concursus, ut in cap. ad hæc, vers. ut qui Beneficiis de Offic. Archidiacon. cap. ad decorem de institut. cap. quoniam versic. si autem hoc de jurepatr., & per consequens contraria consuetudo non potest dici nutritiva peccati, seu dolosa; aut contra bonos mores, dum prædictis Canonibus inhæret Gloss. in cap. cum tanto, versic. rationabilis de consuetud. Rot. dec. 560. n. 10. par. 19. rec.

Neque videtur Matthiam sibi præclusisse viam deducendi prædictam immemorabilem per gratiam si neutri ab eodem obtentam, quoniam ultra quod gratia si neutri est conditionalis, & effectum fortitur in casu, quo neutri collitigantium jus competere noscatur, & Matthias nusquam ea usus fuit, juxta deducta per Amayden. de Stylo Datarie lib. 1. cap. 23. num. 20. Objectum urgeret, quatenus ipse vellet jus suum allegare per viam actionis ad effectum obtinendi ejus canonizationem; Secus autem quando illud deducit per viam exceptionis, ad effectum excludendi jus adversarii, cum id sibi omnibus modis licere debeat, etiam per allegationem proprii juris, nè alioquin gratia resolvatur in Beneficii, seu litis renunciationem contra regulam Textus in l. quod favore, Cod. de legibus, Rot. decis. 1133. n. 3. & seqq. coram Emerix. jun.

Et ita utraque &c.